Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36492
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



aratione interpretantes. Est autem sensus. iste dictorum. Super collum uitule ephraim
contentiose amantisque trituram. ego transiui. et ego ascendi. ut arantem
iudam et confringentem sulcos iacob tereret aream. et solis terrę ferret calorem
monuique eos ut seminarent in iusticia. et meterent in misericordia. et fa
cerent sibi noualia tempusque requirendi dominum illud esse cognoscerent. quo
uenturus est qui doceret nos iusticiam. Me hac iubente de electis noualibus
fructus iusticię ac uitę accipere arauerunt impietatem. qui egerunt
impie contra dominum relinquentes creatorem et colentes ydola. et messuerunt ini
quitatem de malo semine malas fruges recipientes. de quibus fecerunt
non solum panem subcinericium. sed fraudulentum atque mendacem. qui uana
spe deciperet comedentem. Istiusmodi sunt heretici qui arant ser
mone composito. et pergunt ut taceant impietatem. ne impietas esse
uideatur sed credatur pietas. Vnde quia dixerunt in corde suo
non est deus. corrupti sunt et abhominabiles facti sunt. et messuerunt
siue uindemiauerunt iniquitates. Quomodo enim radix omnium
malorum est auaritia. sic peccatorum scelerumque cunctorum. radix est
impietas. quam qui arauerit siue seminauerit metet iniquitates.
Qui igitur arauerunt impietates et messuerunt iniquitates. come
derunt fructum mendacii. omnia que falsa sunt deceptis populis pre
dicantes. ut non quęrant panem uerum. qui de celo descendit sed panem
mendacii. qui suffocat et interficit deuorantes. Quia confisus
es in uiis tuis in multitudine fortium tuorum. consurget tumultus
in populo tuo et omnes munitiones tuę uastabuntur. sicut uastatus est
salmana a domo eius. qui iudicauit babal in die prelii. matre super
filiis allisa. sic uobis fecit bethel a facie malitię nequitiarum uestrarum.
LXX. Quia sperasti in curribus tuis in multitudine fortitudinis
tuę consurget perditio in populo tuo. et omnia murata tua abibunt.
sicut princeps salmaa de domo hierobahal in diebus belli. matrem
super filiis alliserunt. Sed faciam uobis domus israel a facie maliciarum
uestrarum. Ideo comedistis frugem mendacii. et in cunctis que proposu
istis spes uos uana decepit. quia confisus est ephraim in uiis ydo
latrię tuę. Hee enim sunt uię tuę et in multitudine fortium tuorum
non in deo habens spem sed in exercitus robore. Itaque consurget
tumultus in populo tuo. quod hebraice dicitur saon. id est sonitus. et fre
mitus ululantis exercitus. quibus clamantibus omnes munitiones
tuę uastabuntur. et ea que munita arbitrabaris et uitta pate
bunt hostibus. et sic uastabuntur quomodo uastatus est atque